Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 473
Quelle:
Copyright:

Nomina ſic ſatis correcte ſcripta. Graeca ſunt *Macedonum*. Latinis ſuperſcripta Germanica; praepoſtere tamen permutata *Wintemanoth* (November) et *Herbismanoth* (October).

VI. *fol. eod.* Senſa PP. *de Penitentia Salomonis*, ubi Textus duo ab impoſtore quodam adficti *Auguſtino* et *Gregorio* ſed a recentiore manu. Item quaedam *de Genealogia B. Mariae*. Item *de Ligno Crucis ſcriptum quod in antiquis libris eſt repertum*, ſed putida Fabella. Item *de ſerpente aeneo*.

VII. *fol. eod.* p. 2. Series Pontificum et Impp. Romanorum a manu prima ad *Innocentium* II. et *Henricum* IV. a variis deinceps ad *Paulum* II. et *Fridericum* III. perducta.

CLXVIII. VIII. G. 8

585 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 281. 4. Titulum praefert: *Theſaurus Biblicus e SS. PP. et celebrioribus quibusque SS. Scripturae Interpretibus: item ex Hiſtoricis In Caput X. et XI. Geneſis De confuſione linguarum et diuiſione Gentium Collectus a R. P. D. Carolo Stengelio Abbate Anbuſano. Pars V.* Praeceſſerant typis *Ingolſtad.* ann. 1651 — 52. *Partes* IV. quas poſt *Lelongium Bibl. S. P.* II. p. 972. enumerat *Ziegelbauerus Hiſt. Rei Lit. O. S. B.* P. IV. p. 26. additque: *Geneſeos Diſſertatio quinta* (noſtra videlicet) *nondum typis edita*. At *Gentilotus* noſter ὁ μακαρίτης prodiiſſe itidem *Ingolſtadii* 1657. 8. ſuis in Indicibus adnotavit. Quamvis vero Exemplar noſtrum *mſ.* in fronte praeferat Facultatem edendi a *Gaſpare* Ep. *Adramyteno* Vicario generali *Auguſtano* propria manu *die 25. Apr.* 1653. exaratam, Editionem tamen ipſam apud neminem Bibliographorum deprehendere hactenus potui. Quod magis mirum, Totus hic *Theſaurus Biblicus* ultra *quintam* etiam Partem, ut mox videbis, productus abeſt ab Elencho Operum, quem ab ipſo Autore textum, publicatumque in *Mantiſſa Rer.* ſuarum *Auguſtanarum* 1650. 4. *Ziegelbauerus* ſupracit. P. III. p. 387. repraeſentavit, ut adeo illo anno vixdum illi congerendo manum admoviſſe *Stengelius* videatur. Sequuntur vero in *Codice:*

II. *fol.* 91. *Theſaurus Biblicus — in Librum Joſue, Judicum et Ruth*, eadem edendi Facultate in fronte munitus, et

III. *fol.* 230. *Nemrod Robuſtus Venator deſcriptus, cujus occaſione acceſſere tres libelli de ipſa Venatione, raras et mirabiles hiſtorias continentes.* Subſcripſit et huic Tractatui Vicarius Epiſcopi ſupra nominatus, et quidem eodem die et anno, quin et averſa Tituli pagina Venationis adumbratio viſitur aeri deinceps incidenda. Verum aut edendi voluntas aut Typographus Autori defuit, quem Opuſcula haec ob multiplicem ſacram profanamque eruditionem aevo ſuo certe merebantur. Multus praeſertim eſt